

# SELECTA IN PARTICIPIUM

Qui amans [et] egens ingressus est princeps in Amoris vias,  
superavit aerumnis suis aerumnas Herculi. (Plautus, *Persa*)

Ecce Magi ab oriente venerunt Hierosolymam dicentes: "Ubi est, qui natus est, rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente et venimus adorare eum". Audiens autem Herodes rex turbatus est et omnis Hierosolyma cum illo; et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. (Matthaeus, *Evangelium*)

Quid sum miser tunc dicturus?  
Quem patronum rogaturus,  
cum vix justus sit securus? (*Dies Irae*)

Nemo tibi dicturus est post resurrectionem mortuorum in regno dei: frange esurienti panem, quia non inuenies esurientem. nemo dicturus est: uesti nudum, ubi omnium tunica immortalitas erit. nemo dicturus est: suscipe peregrinum, ubi omnes in patria sua uiuent, nam modo sumus inde peregrini. nemo dicet: uisita aegrum, ubi est sanitas sempiterna. nemo dicet: sepeli mortuum, ubi mors moritur. (St. Augustinus, *Sermo XI*)